

BOVSLAVS DE HASSENSTEIN.



Bouslaus nobili familia inter Germanos natus, ab ineunte etate humanioribus literis operam dedit, & magnam in ijs cognitione acquisiuit. Orator enim & Poëta doctissimus euasit. Cum autem is ad uirilem ætatem usque Historijs & studijs inuigilasset, tandem & arma atque bombardas tractare coepit. Itaque castra sequens magna cum laude ordines duxit, atque militibus se se fortitudinis & patientiae exemplum praebuit. Interim tamē & liberos legebat, atque alternis uicibus & horis arma & literas tractabat, ita ut ueluti alter Plinius, etiam militando carmina conscriberet & libros conficeret. Scripsit enim prosa & metro præclara quædam opuscula, quibus ingenui iui felicitatem posteris manifestauit. Ex ijs extat opus præclarum de inuentis proprijs Italorum & Germanorum, præterea liber carminum, cum uarijs Epistolis. Floruit anno 1496. maximiliano Cesare existente. Trit.